



Quod apud te, Cultissime Hugeni, largius depulanti licentia con-  
 uiviali exciderat, an debuerit extra conclaue produci te cum ipse  
 repúta, quando hominem in rebus non in litteris agentem cum  
 doctissimo viro impari sanè congressu, te commisisse vides, at certe  
 si liticulam istam inter amicos tuos, sibi inuicem ignotos serere  
 voluisti, ne deinceps ignoti essent, decebat in histohumanitatis offi-  
 cio non obmittere, quibus argumentis inductis dixeram subdubitare  
 me, an recte positus esset sanctissimo Patrinostro Alexandro Ti-  
 tulus Pontificis optimi maximi. hoc si ate fuisset prestitum et  
 pepercisses opere R. P.<sup>is</sup> qui ea mihi probauit quæ non nescie-  
 bam, et mihi consuluisses, nam, ut est ille pientissimus scripulum  
 exemisset qui etiamnum haeret. si quæ inter computandum  
 dicta sunt meminisse possim, hæc mihi erant due causæ amplius  
 inquirendi de isto Titulo. Altera quod distinguendum mihi  
 videtur inter elogia totumq. genús adiunctorum, et Titulos dig-  
 nitatum que nomina. Illa libera, arbitraria aptaque preponi  
 et postponi: hæc præcisa, verbis conceptis inelusa atq. si italoqui  
 licet, formalia, quæ diuidi, abruptiq. insertione ullius vocis  
 extraneæ non debeant, non enim occurrebat legisse me umquam  
 apud veteres Sempronium Magistrum optimum equitum. ~~Fl-~~  
 Flaviium ædilem optimum currilem, quapropter placebat quidem,  
 et mire placebat Alexandrum dici, optimum Pontificem maxi-  
 mum, aut si mauis Alexandrum Pontificem maximum opti-  
 mum neququam vero vocari Pontificem optimum Maximum  
 Longè quippe aliud sonant hæ voces sic compactæ. Altera causæ  
 dubitandi erat quod in re inter Christianos Antiquissima sum-  
 miq. momenti non tulum existimabam a Veteri forma re.

cedere, et cum in reuerentia erga Sedem Apostolicam  
Majores nostros sequamur, qui ut in plerisque aliis longe nos  
superarunt obsequio In summos Pontifices nihil in eorum  
titulo nouandum putabam, aut addendum appellationi quae  
per. 14. continua secula Christi. **D.N.** Ecclesiae usa est.  
quia quidem fortasse consulto abstinuit Titulo optimi maximi  
quod ea denominatio omnium Pontificum censensui vni Deo  
sacra <sup>est</sup> ~~est~~ Nihil a. mirum, si praeter tot appellationes quae  
promiscuas Deo et hominibus, unicum illud singulare no-  
men Deo reseruetur. haec erant quae me incertum fecerant  
faciuntque. quia propter exple officium, Pontissime et sua-  
uissime Constantine procura ut semel intelligam iure ne de-  
bitauerim. Datum Haga comitis 8 Kal. Octob. 1655.



